

COLLEGII SEXTI
In Augustanae Confessionis
Articulum Nonum

De
BAPTISMO,
DISPUTATIO VI.

agens adhuc
De SUSCIPIENTIBUS Baptismum.

In inclutâ ac florentissimâ Academiâ WITTE-
BERGENSI proposita,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI

SS. Th. Doct. & Profess. Publ. Primario, Fa-
cult. Theol. Seniore, & Templi ad Arcem
Præposito,

RESPONDENTE

M. DANIELE HEERBRANDO

Zeithaynâ-Mysô, Elect. Alumnô.

Habebitur divinâ adjuvante gratiâ

In Auditorio Collegij Veteris

Ad diem 8. Decemb.

WITTEBERGÆ,

Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXIII.

H

[Handwritten signatures]

coll. diss. A
98, 6

Diss. t. 198/6

Disputatio VI.

Continuatio.

Diximus disputatione præcedente, Becanum in Capite suo 10. quod est de suscipientibus Baptisimum: de illis, & quidem infantibus, octo, de adultis v. quinque; quæstionibus agere: De prioribus quinque; hætenus ratione instituti nostri sufficienter egimus, sequuntur nunc posteriores, quas hac disputatione resolvemus & examinabimus.

QUÆSTIO I.

An expediat infantes Christianorum baptizare ante usum rationis?

I. Quæstio hæc apud Becanum in dicto cap: 10. est sexta, de qua initio recenset diversas, quæ fuerunt in primitivâ Ecclesiâ, opiniones: Quod nimirum *Gregor: Nazianzenus in sermone de baptismo*, optet infantum baptismum differri in triennium, ut per se posset aliquo modo respondere & annuere. *Tertullianus verò l. de Baptismo*, putet, melius esse, ut differatur usque ad annos discretionis: Reliqui tamen patres non probent hanc dilationem, sicut nec *D. Thomas art. 3. & 9.* Quam etiam sententiam defendit Becanus & explicat tribus conclusionibus.

II. Prima ergo ejus conclusio est: *Certum est licere infantes Christianorum baptizare ante usum rationis.* Probat primum à praxi totius Ecclesiæ. Deinde quia nullò præcepto sive naturali sive positivo id prohibitum. Quas quidem rationes suo loco relinquimus, merito nihilominus reprehendendus est Jesuita, quod principali & maximè urgentem, adeoque veram causam, omittat; quod est mandatum Dei, *Joh. 3. Amen amen dico ti-*

bi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Marc. 10. 14. finite parvulos ad me venire, & ne prohibeatis eos. Matth. 28. 19. docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus S. &c.

III. Secunda Becani conclusio est: *Non solum licet, sed etiam expedit parvulos baptizare ante usum rationis.* Probat rursus duabus rationibus. 1. *Quia liberentur a peccato originali & potestate diaboli.* 2. *Quia fiant membra Christi, & sint securi de vita aeterna, si moriantur.* Hanc posteriorem rationem ambabus manibus amplectimur: Ut & priorem probamus si non intelligatur de formâ peccati originis absolutâ, id est, de ipsâ essentiâ & *diviniâ*, quæ aliâs est opinio erronea pontificiorum; sed de reatu, de formâ accidentali sive relativâ: hanc n. tolli per justificationem sive justitiam Christi, quæ infanti, per regenerationem, in baptismo factam, imputatur, ex scripturâ sacrâ abunde probatur. Verum hac sublatâ, non statim tollitur ipsa peccati essentia, sed potius illam remanere sacra scripturâ itidem disertis verbis confirmat, ut suo locò à nobis demonstratur.

IV. Tertia Becani conclusio est: *Extra casum necessitatis nullum extat divinum præceptum baptizandi infantes ante usum rationis, tamen si Ecclesiastico jure id faciendum sit.* Quia conclusio hæc duabus constet partibus, ideò illas distinctè probat, & quidem priorem. *Quia inquit, de nullò divinò præcepto nobis constat.* Secundam: *Quia licet non sit ulla lex canonica de hac re scripta; tamen recepta Ecclesie consuetudo sufficiens videtur ad hoc jus introducendum.*

V. Ex his ergò rationibus intelligitur, quare principalem causam primæ conclusionis omiserit Jesuita, nempe propterea, quòd talem nullam esse existimaret, proinde hic expresse dicat, nullum præceptum divinum sibi cognitum esse, quo obligentur extra casum necessitatis baptizari infantes ante usum rationis; tantùm praxin Ecclesie hic vim legis habere: in casu contrâ necessitatis multa concurrere ejusmodi infantes baptizandi præcepta: Utpote 1. *generale charitatis præceptum, quo tenemur subvenire proximo indigenti.* 2. *Præceptum pietatis, quo tenentur parentes filius providere.* 3. *Præceptum justitiæ, quo parochi tenentur suos subditos juvare in tali necessitate.* 6. Ve-

VI. Verūmenimverò, si illa præcepta divina obligant nos, infantes, in periculò mortis constitutos, baptizare: Utiq; obligabunt, omnes infantes, quàm primùm in hunc mundum eduntur baptizare. Si n. generalia Charitatis, pietatis & justitiæ, præcepta requirunt hominem ex quovis periculò, ubi possumus, liberare, utiq; requirunt hominem ex maximò periculò miseriæque extremâ eripere: Verum quodnam periculum est majus illò, in quo versantur infantes in hunc mundum nati? quæ miseria durior & intolerabilior, quàm sub potestate diaboli contineri, in faucibus Satanæ hærrere, extra Dei gratiam filios iræ esse?

VII. Imò Deus Oraculis specialibus satis evidentor monet ac jubet, ut infantes baptizentur, & ipsorum baptismus nequaquam differatur, sed quàm primùm unquam fieri possit, ad sacrum, hunc regenerationis fontem adportentur, cum Christus baptismi necessitatem severè inculcet Joh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum cælorum.* Et statim subjicit rationem sive causam. Nam quod ex carne natum est, caro est, ibi: v. 6. est peccatis obnoxium & inquinatum Joh. 15. 14. Iræ Dei subjectum, Eph. 2. 3. in iniquitate genitum & conceptum, Ps. 51. 7. proindeq; opus habet novâ nativitate sive regeneratione, quæ supernè fit ex aquâ & spiritu. Quandoquidem sanctificat Christus suam Ecclesiam, purgans eam lavacro aquæ per verbum, Eph. 5. 26. Et rursus scriptum est: *Ex sua misericordiâ salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Tit. 3. 5. Equidem hæc verba (*baptisate infantes*) in scripturâ sacrâ sic ad literam non reperiri lubentes fatemur: Rem ipsam sive sententiam illam, in divinis literis traditam, confirmamus, infallibilibus argumentis, ex claris & perspicuis testimoniis Spiritus sancti, per indubitatam consequentiam extructis, quod perinde est, ac si expressis verbis, literis atq; syllabis infantum baptismus esset nobis à Christò commendatus. Tandem accepisse Ecclesiam jus à Christò, quo, qui per baptismum in Ecclesiam sunt ingressi, cogantur, ut in eâ permaneant, nihil scit scriptura: Quia itaq; id sine ratione ac probatione dicitur, eâ facilitate à nobis rejicitur, quâ à Jesuitâ asseritur.

An liceat infantes infidelium baptizare
invitis parentibus.

VIII. Quæstio hæc apud Becanum est septima, in cujus tractatione initio distinguit inter infideles, eosq; duplices facit: alios, qui post susceptum baptismum defecerunt à fide, vel ad hæresin vel ad judaismum, vel ad paganismum, & vocantur Apostata: alios, qui fidem & baptismum nunquam susceperunt. Hos rursus duplices esse dicit, quorum quidam sint subjecti Christianis principibus in jurisdictione temporali: quo pacto Judæi in Germaniâ subjecti sint Imperatori; & aliqui gentiles in Indiâ subjecti sint Regi Hispaniarum: quidam v. non sint subjecti, sed liberi ab omni jurisdictione Christianorum, ut Turcæ ac multi alii gentiles. Illos rursus, qui subjecti sunt principibus Christianis, vel politicè tantum subjectos esse dicit, vel etiam serviliter. Et tandem concludit, juxta has distinctiones procedendum esse. Quare præeuntem Beconum sequemur.

IX. Primam itaq; conclusionem dat ejusmodi: Filii apostatarum baptizari possunt ab Ecclesia invitis ipsorum parentibus. Est communis sententia (addit:) quia Ecclesia habet jus in ipsos parentes, & potest eos ad fidem cogere, aut pœnam mortis irrogare, si pertinaces sint. E. potest eos privare jure ac potestate, quam habent in suos filios. E. ipsis invitis potest eorum filios baptizare.

X. Invitis parentibus hæreticorum infantes baptisari ab Ecclesiâ posse concedendum non est: Valet enim hic ratio, quam ipsemet Becanus inculcat & urget in responsione ad primam objectionem, motam sub conclusione secundâ his verbis: Christus non dedit Apostolis potestatem aut præceptum, ut baptizarent invitos, sed volentes homines. Sicut E. adulti non debent baptizari, nisi spontè consentiant, ita nec infantes, nisi consentiant ii, in quorum curâ & potestate sunt. Non E. invitis parentibus licet infantes baptizare. Ut E. Apostoli aliud mandatum non habentes, non abripiebant ad baptismum promiscuè quorumlibet parentum liberos obvios, sed quando parentes prædicatione verbi Dei ad fidem conversi fuerant, initio parentes ipsi baptizabantur, deinde demùm horum quoq; parvuli, sic

praxis

praxis hæc Apostolorum nobis vice regulæ est observanda & tenenda. Ergo potius auxilio Magistratus ipsis seriò injungendum, ut vel infantes suos afferant ministerio baptizandos: vel solùm vertant, nec suâ pertinaciâ & baptismi contemptu publicè scandalum præbeant Ecclesiæ. Ratio addita falsa est: Nemo n. nisi solus Deus potestatem habet in conscientias, ideoque nullum ad fidem Ecclesia cogere potest; si autem scandalosè vivat hæreticus vel etiam quilibet impius, publicum ministerium, sacramenta, ut ea in orthodoxâ Ecclesiâ administrantur, nec non sacras conciones, contemnat, & gradus admonitionum præcesserunt, nulla a. emendationis spes affulgeat, non tantùm excommunicari, sed etiam cogi potest, ut sedem ac locum mutet: poenâ v. mortis affici non potest; uti illud dudum nostri doctores contra Pontificios & Calvinianos invictis rationibus demonstrarunt, & obtinuerunt.

XI. Secunda conclusio Becani est: *Filij infidelium nullò modo subjectorum Ecclesiæ vel principibus Christianis, non possunt baptizari invitis parentibus.* Conclusio hæc per se plana est. Si enim illi cogi non possunt, qui sunt in externò cœtu Ecclesiæ orthodoxæ & sub jurisdictione Magistratus fidelis ac pij: E. multominus poterunt cogi illi, qui nullò modo ad nos pertinent. Et respondet Apostolus 1. Cor. 5. *quid ad me attinet, etiã de his, qui foris sunt, judicare? nonne de his qui intus sunt, judicatis? Eos verò, qui foris sunt, Deus judicat.* Quam sententiã etiamsi Paulus in hypothesi ad suum, de quò agit, institutum accommodat; est tamen per se generalis regula, vim habens *θεσεως*. Non a. exiguum fecit scriptura discrimen inter illos, qui foris orti sunt, & inter hos, qui domi in gremiò matris Ecclesiæ ex baptisatis parentibus orti. Nam de his tutò affirmare licet, quod ad ipsos pertineat bonum Ecclesiæ, nempe baptismus, juxta promissionem, Gen. 17. *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Quã promissione, ad fideles N. T. accommodatã, illorum parvulis aditus quidam aperitur ad Sacramentum Initiationis, Baptismum, quo mediante consequuntur fructum ejus promissionis, nempe gratiam Dei, per fidem in baptismatis actione accensam. Sed & Apostolus Paulus inter Ethnicorum & Christianorum liberos

fimi

similiter disertè distinguit, quando 1. Cor. 7. eos liberos, qui vel ex alterò saltem fideli parente nascuntur, sanctos pronunciat, cum contrà si uterq; infidelis esset, liberos eorum immundos, fore dicat: non quidem quod internam cordis atq; spiritus sanctitatem jam inde ex uterò maternò secum trahant, sed latiore significatione dicuntur *sancti*: quia censentur pro liberis in Ecclesià natis, quibus janua ad sacramentum initiationis pateat. Liberos contra, quorum uterq; parens infidelis sive non baptizatus est, immundos dicit Paulus, non propter peccatum originis, quod omnibus commune, non quod illegitimò thoro essent nati: sed propter planè singularem & spirituales immunditiam, quæ nulla est alia, quàm quod illos hæc deficit promissio: *Ero Deus tuus & seminis tui post te*: Quippe quæ non ad eos, qui sunt extra Ecclesiam, sed tantum ad eos, qui sunt in Ecclesia, spectat: proinde neq; illis sacramentum initiationis ita expositum est, ut ad id cum nostris infantibus, æquali sorte statim in infantia admitti possint: sed expectandum eis, donec verbò instituti assensum in fide declarent, & Ecclesiæ per Baptismum inseri petant: Interea dum hoc fiat, manendum illis est extra castra Ecclesiæ, tanquam immundis.

XII. Tertia conclusio Becani est: *Filii eorum infidelium, qui politicè tantum subiecti sunt principibus Christianis, in temporali tamen jurisdictione, non possunt etiam baptizari invito parentibus.* Notetur hic objectio. *Hinc sequeretur, inquit Becanus, principem Christianum non posse etiam punire subditos Christianos nolentes filium suum baptizare: quod tamen est falsum*: Respondet: *per se & propria auctoritate id non potest, sed solum ex concessione Magistratus Ecclesiastici.* Respondemus propriè loquendo nullus est Magistratus Ecclesiasticus. Christus n. non instituit Magistratum, ac Imperium, sed ministerium: in quo maximus sit servus minimi. Si E. Magistratus Ecclesiasticus non est, quomodo poterit Magistratui politico concedere aliquam potestatem exercendi jurisdictionem, quam non habet? Quare cum Magistratus Politicus sit custos utriusq; tabulæ, omninò potestatem habet scandalosè viventes in Ecclesia, in suà politia & sub suà jurisdictione collectâ, ejiciendi ex suis ditionibus. Hic facile etiam responderi

deri potest ad subsequencia: Dices, pergit, Ergò ex eadem concessione poterit etiam punire infideles: & respondet: Non est par ratio, quia infideles non subsunt potestati Ecclesiastica, sicut Christiani. Discrimen aliquod esse inter infideles, sive non baptizatos, & inter Christianos, hoc est, baptizatos, concedimus: sed quod Ecclesia propterea aliquam jurisdictionem habeat in Christianos, concedendum non est: cum planè nullam habeat jurisdictionem propriè dictam, hoc est talem, quæ potest concedi Magistratui Politico, ut vel Christianos vel infideles coërceat: quare illam non habet ex concessione Ecclesiæ, sed pertinet ad officium ipsi à Deo datum.

XIII. Quinta Conclusio Becani est: *Filij eorum infidelium, qui non tantum politicè, sed & serviliter subiecti sunt principibus Christianis, possunt auctoritate Dominorum separari à parentibus, ipsiq; invitis baptizari.* Res videtur manifesta. Eruditè enim & orthodoxè distinguit & respondet Dn. D. Hunn: in præfatione præfixâ Commentario 1. *Epist: Pauli ad Timoth:* quodq; repetit in articulo de Sacramento *Cap. 12. mibi p. 1041.* his verbis: Phrasis, qua dicuntur infidelium parvuli venire in manus & potestatem Christianorum, laborat homonymiâ, atq; idcirco distinguendum est. Primò n. ita potest intelligi, quod Christianorum subsint imperio, ita tamen ut permittatur illorum parentibus qualiscunq; *αυτονομία* cum in Ecclesiasticis tum in politicis, maxime v. & domesticis rebus: qualiter hodie subiecti sunt Romano Imperio vel aliis Christiani nominis regnis & provinciis Judæi, qui & passim in Imperialibus civitatibus alibiq; degunt. Jam v. longè aliâ ratione in nostram potestatem redigi dicuntur, qui bello capti vel pretio empti, non tantum ut priores illi subiguntur imperio Christianorum, sed planè in familias nostras asciscuntur, ut jam sint ex domesticis; aut verè ex talibus nascuntur nobis domi, quos Latini *Vernas* appellant. De his E. populorum infidelium parvulis, qui jam sunt familiæ nostræ pars, expressè testifico, absq; eunctatione baptizari illos posse ac debere, haut aliter atq; Abrahamus omnium servorum horum, (ut qui maximè fuissent inter illos adhuc à fide alieni) parvulos infantes circumcidit *Gen. 17.* eo quod pertinerent ad familias

miliās nostras, sed sunt sub potestate infidelium horum paren-
tum, quales sunt hodiē Judæorum inter Christianos habitan-
tium parvuli: Nullum in universā scripturā veteris Testamenti
(ratione circumcissionis) vel Novi (ratione Baptismi) extat
exemplum, quod parentibus suis erepti & invitis illi baptizati
fuerunt. Quā de causā etiam Ecclesiæ, Confessionem Augu-
stanam amplexæ & professæ, neq; asserere neq; suadere, multo
minus Judæis, passim in Imperialibus civitatibus, quæ Evange-
lium Christi purē docent, habitantibus, infantes suos per vim
eripere voluerunt, ut Sacramentō Baptismi initiarentur. Etsi
igitur miseris illis infantibus salutem suam æternam minimē in-
video, sed eam modis omnibus promotam cupio: tamen, quia
firmis rationibus evinci non potest, quod, parentibus invitis &
repugnantibus, priusquam Catechumeni facti fuerint, in in-
fantia baptizandi sint, & praxis insuper universalis Ecclesiæ
omnium ætatum & seculorum reclamatione, & ego rem novam,
cunctisq; seculis inauditam asserere dubito. De infantibus a Tur-
carum aut etiam aliorum infidelium gentilium quando modis
supra commemoratis in nostram potestatem veniūt, & jam sunt
familiarum nostrarum membra, iterum atq; iterum affirmo, ba-
ptizari eos ad Exemplum ex Gen. 17. productum, omninō debere.

QUÆSTIO III.

An liceat baptizare infantes in uterō ma-
ternō existentes?

XIV. Explicat hanc quæstionem Becanus duabus conclu-
sionibus. Prima: *Si infans omninō clausus in uterō maternō, non
potest baptizari.* 2. *Si mater pragnans moriatur, potest infans ex-
scindi, & baptizari etiam ante tempus Nativitatis: Si a. sit vicina
morti, non potest inde excindi infans & baptizari.* Utraq; con-
clusio probatur & observatur etiam in nostris Ecclesiis. Et
quod post pauca subjicit. *Quid si mater justè damnata sit ad mor-
tem, an tunc liceat excindere infantem & baptizare.* Resp. Bec:
*Tum regulariter supplicium matris differendum est propter bonum
prolis. l. pragnantis. ff. de pœnis.*

XV. Lu-

XV. Lutherus de Captivitate Babyl. sub Tit. de Baptismo
 Tom. 2. Jen: lat: mihi pag: 274. b. suspendit suum iudicium.
*Queritur, inquit, an parvulus nondum natus possit porrectâ ex uterô
 manu, vel pede, baptizari? Hic nihil temerè judico; meamq; ignoran-
 tiam confiteor. Nec scio an id satis, quod pro fundamento habent,
 esse videlicet animam in qualibet parte corporis totam; Non n. anima
 sed corpus baptizatur aquâ externè. Sed nec hoc judico, quod di-
 cunt, Renasci n. non posse, qui natus nondum sit, & si veherementer
 urgeat: Ideò Magisterio spiritus hæc relinquo, interim sinens quemq;
 suo sensu abundare h. L. Verum annis viginti duobus post, nempe
 1542. in Tomo 8. Jen. germ. p. 44. b. hanc quæstionem decidit
 his ipsis verbis. Wenn sichs zutrüge mit einer Frauen/ die in ein-
 desnöthen gehet/ daß die Frucht nicht mag gänzlich von Ihr kömen/
 sondern allein ein Arm/oder ander Glied herfür kömmt/so sol man das
 Glied nicht teuffen / in meinung als ob dadurch das ganze Kindlein
 getaufft sey / viel weniger sol man ein Kind / so noch in Mutterleibe
 stecket/vnd von ihr nicht kommen mag / teuffen / also daß man wolte
 über der Mutterleib wasser gießen/denn das solches vnrecht vnd gött-
 licher Schrift vn gemes ist/erscheinet klärlich aus den Worten Chri-
 sti/ Joh. 3. da er von der Tauffe also spricht; Es sey dann daß der
 Mensch anderweit geböhren werde/etc. Darumb sol nun ein Kind-
 lein getaufft vnd also anderweit geboren werden/ so ist von nöten/daß
 es vor einmahl geböhren vnd auff die Welt kommen sey / welches
 nicht geschiehet / so nur ein einiges Glied aus der Mutter herfür
 kömmt. So sollen nun wir (die dabey sind) die Regel Christi all-
 wege halten. Es sey dann daß der Mensch anderweit geböhren wer-
 de/etc. Vnd nieder knieen/ vnser Gebet im Glauben sprechen / vnd
 vnsern H. Ern Gott bitten/ daß er wolle solch Kindlein seines Leidens
 vnd Sterbens theilhaftig lassen werden/ vnd also nicht zweiffeln/ er
 werde es nach seiner göttlichen gnade vnd barmherzigkeit wol wissen
 zu machen. Drum / dieweil das Kindlein durch vnser ernstlich
 Gebet zu Christo gebracht/vnd solches Gebet im Glauben gesprochen
 ist/so ist es bey Gott gewiß vnd erhöret/was wir bitten/ vnd er es ger-
 ne annimbt/wie er solches Marc. 10. spricht: Lasset die Kindlein zu
 mir kommen / vnd wehret ihnen nicht/ denn solcher ist das Himmel-
 reich / so sollen wir es dafür halten / daß das Kindlein / ob es
 B ij wohl*

wohl die rechte Tauffe nicht erlanget /- drum nicht verlohren
ist.

QUESTIO IV.

An Baptismus sic adultis necessarius
ad salutem?

XVI. Quæstio hæc apud Becanum est nona. Ubi primum
fundamenti loco distinguit inter *duplicem necessitatem & alteram*
dicit mediæ, alteram præcepti. Hic (pergit) illud dicitur *necessa-*
rium ad salutem necessitate mediæ, sine cuius causalitate seu concursu
salus haberi non potest. Illud autem dicitur *necessarium, necessitate*
præcepti, sine quo peccatum caveri non potest. Prior necessitas (addit)
directè respicit finis consecutionem: i. e. effectivè concurrat: posterior
verò respicit impedimenta: id est, præcepti ablationem. Unde (tan-
dem concludit) *sequitur id, quòd est necessarium necessitate mediæ,*
non posse omitti sine dispendiò salutis, quia causalitas ejus suppleri non
potest: id autem, quòd est necessarium necessitate præcepti, posse ali-
quando omitti, sine dispendiò salutis, præsertim per ignorantiam
invincibilem, quæ excusat à peccatò.

XVII. Respondemus, necessitatem baptismi esse quidem ne-
cessitatem mediæ, quòd non potest suppleri ab homine: potest
tamen suppleri à DEO. Nam (ut sapius inculcavimus) etsi
homo ad id alligatus est, ne suâ culpâ ullò modò intermittatur:
Non tamen Deus, quippe qui hanc necessitatem homini, non
sibi, ac bonitati, misericordiæq; suæ imposuit. Ac proinde
potest & vult Deus in casu necessitatis sine istò mediò spiritua-
liter in infantem agere, ejus regenerationem procurare,
ipsumque in gratiam recipere: ut hæctenus sufficienter pro-
batum.

XIIX. Progrediamur ad subjectas Becani conclusiones. *Pri-*
ma conclusio, inquit: Baptismus vel in re vel in votò est adultis ne-
cessarius ad salutem necessitate mediæ secundum legem ordinariam.
Puto Jesuitam per *votum* intelligere desiderium: quòd nimi-
rum adultus, si salvus fieri velit, vel actu sit baptizandus, vel si
exclusus casu necessitatis, quem Becanus facit solùm marty-
rium, ut baptizari non possit, ex animò tamen optet ac deside-

ret

ret baptizari. Verū enim verò ex nullò scripturæ locò tale
votum ac desiderium, quod locò baptismi esse, & ejus virtutem
habere possit, poterit probari. De latrone conversò in cruce
ex scripturis probavimus suprà, quod sine baptismò, solà fide in
Christum, in gratiam sit receptus, eiq; vita æterna promissa; de
votò autem illò, & desiderio baptismi, altum ibi silentium. Ne-
que etiam martyrio speciale privilegium (ut loquitur Becanus)
in respectu ad baptismum potest tribui, ut infrà videbimus.

XIX. Secunda conclusio: *Baptismus est etiam adultis necessa-
rius, necessitate præcepti, quia omnia media necessaria ad salutem,
quando sunt in nostrâ potestate, cadunt sub præceptum.* Responde-
mus nos, quod baptismus sit necessarius necessitate præcepti esse
extra controversiam; sed non propter rationem, à Becano ad-
ductam: sed quia Christi præceptum disertis verbis in scriptu-
ris est promulgatum, *Matth. 28. v. 19.* Et Petrus dicit *Act. 2.
v. 38. Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq; in nomine Jesu
Christi in remissionem peccatorum.* Quod rursus absolutè & sine
ullâ limitatione vel restrictione hic dicitur *infantem non bapti-
zatum amittere salutem:* in præcedentibus est correctum & refu-
tatum. Quæ subjiciuntur quæstiones & responsiones potius
otiosæ sunt quam utiles. Ideò libentes omittimus.

QUÆSTIO V.

An Baptismus Adultorum suppleri possit
per Contritionem?

XX. Quæstio hæc est apud Becanum decima: de qua statim
subjicit, quod à nonnullis ita proponatur: *An Baptismus reipsâ su-
sceptus sit adultis necessarius ad salutem, an verò sufficiat Baptismus
in votò, qui includitur in contritione.* Subjicit opiniones planè
contrarias: haut dubiè ut Doctorum Papisticorum egregium
consensum, scilicet! demonstrat. *Prima opinio, inquit, est, ba-
ptismum reipsâ susceptum esse necessarium ad salutem hujus vitæ, id
est, ad gratiam justificantem & remissionem peccatorum.* Et addit,
*Michaelem Bajum Professore Lovaniensem, qui docuerit catechu-
menos,*

menos, posse quidem obtinere perfectam ac sinceram Charitatem: non tamen remissionem peccatorum ante realem susceptionem baptismi. Et tandem hanc opinionem rejicit ob duplicem errorem. Quorum unus est: obtineri posse charitatem sine remissionem peccatorum, qui refutari solet in materia de justificatione. Alter error est, non posse obtineri remissionem peccatorum ante realem susceptionem baptismi: qui hoc loco refutandus est. Quæ si rectè intelligantur, rectè sese habent.

XXI. Secundam opinionem hanc esse dicit: *Baptismum reipsa susceptum necessarium esse ad salutem alterius vite, id est, ad consequendam gloriam, non tamen ad salutem hujus vite.* Neque hanc opinionem posse probari, statuimus: quia in baptismo & per ipsum fit regeneratio & remissio peccatorum in hac vitâ. Sed videamus Conclusiones Becani.

XXII. Prima Conclusio est: *Baptismus in re non est adultis simpliciter necessarius ad consequendam primam gratiam & remissionem peccatorum; sed sufficit contritio continens in se votum baptismi.* Nos ita corrigimus: sed sufficit contritio, sive pœnitentia, in se continens veram fidem in Christum: hæc est pœnitentia salutaris, constans contritione & fide. Contritio enim, ut talis, neque meretur neque consequitur gratiam & remissionem peccatorum: aliàs enim & Judas illam fuisset consecutus: sed passio & mors Christi totaque ejus obedientia, legi præstita, illam nobis promeruit: quæ nostra fit fide applicata. Contritionem enim fides, quæ cum ipsa est, non ipsa seipsam neque votum baptismi salutarem facit: sed, inquam, fides ratione termini sui, quod est meritum Christi, nos justificat. Deinde sufficere etiam contritionem, continentem in se fidem & votum baptismi, verum non est, nisi accedat casus necessitatis, quo privatur baptismò ejusmodi adultus: is quando non datur, contritio non sufficiet. Quandoquidem Petrus Act. 2. v. 38. conjungit hæc duo, *contritionem & baptismum*, non disjungit, inquit: *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq; in nomine Jesu in remissionem peccatorum.* Et de Johanne Baptistâ dicitur Marc. 1. v. 4. *Baptizabat Johannes in deserto, predicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

XXIII. *Secunda Conclusio: Baptismus non est adultis simpliciter necessarius ad consequendam gloriam: quamvis ordinariè non consequantur illam sine baptismo. Vera est hæc conclusio, sed non tantùm de adultis; sed etiam de infantibus, ut demonstratum.*

XXIV. *Tertia conclusio: votum baptismi potest esse duplex, explicitum & implicitum. Explicitum est, quando adultus non solum habet contritionem de peccatis cum generali proposito servandi deinceps omnia præcepta; sed etiam cum speciali proposito suscipiendi baptismum; quod haberi non potest sine fide & cognitione baptismi. Implicitum est, quod in ipsâ contritione & generali proposito servandi omnia præcepta continetur. Et tandem sub finem hujus quæstionis concludit Becanus, tam ad gratiam, quam ad gloriam sufficere implicitum votum sive desiderium baptismi. Ut de distinctione hac, membrorumq; ejus descriptionibus nihil dicam, negandum omninò est, quod ejusmodi votum, sive implicitum sive explicitum, cum contritione junctum, suppleat vices baptismi. Quippe quod facit unica vera fides in Christum, quâ meritum ejus & satisfactionem, justitiâq; homo, vi quadam tyrannicâ à baptismo exclusus, vel alio quodam necessitatis casu eodem privatus, apprehendit. Quahdoquidem non dicit Christus, qui non baptizatus fuerit, sed qui non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. v. 16 & Joh. 3. v. 14. & 15. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam. Et mox. v. 18. Qui credit in eum, non condemnatur; qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.*

QUÆSTIO VI.

An Baptismus auctororum suppleri possit per Martyrium.

XXV. *Quæstio hæc apud Becanum undecima est: qui subicit, quod eam affirmant passim Theologi & Sancti Patres probantes ex Matthæo 10. 39. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Verùm id ex locò illò probari nequaquam potest.*

potest. Quandoquidem in postrema capitis parte, cujus initium est v. 32. Dominus omnes suos hortatur ad confessionem veritatis contra pravam timorem persecutorum, adhibitis promissionibus & minis, in quibus etiam sunt, quæ v. 39. proponuntur. Sensus autem horum est: qui offendendo Deum volet sibi bene prospicere, seq; ac sua tueri, ille tandem in æternum peribit, ut maximè hic ad tempus floreat; & contra, qui variis periculis ac calamitatibus jactetur, aut etiam ipsam mortem pro Evangelio patiat; is animam suam in perpetuum conservabit, retenti scilicet fide, qua conservata, retinetur salus, quæ finis fidei est, 1. Pet. 1. v. 9.

XXVI. Pergit autem Becanus: *Tota difficultas est, primò an sicut Baptismus ex opere operato tollit omnem culpam & pœnam, sic etiam martyrium. Secundo quæ dispositio requiratur in homine existente in peccatis mortalibus, ut proficiat illi martyrium sine baptismo.* Subjicit porrò tres opiniones (nota rursus consensum Pontificiorum Doctorum) *Prima opinio est, inquit, requiri veram contritionem & dilectionem Dei, super omnia perfectam. Secunda, sufficere voluntatem patiendi pro Christo, nec opus esse contritione, etiam si homo recordetur suorum peccatorum: Tertia, requiri saltem attritionem, si homo sit conscius peccati.* Rationes singularum vide apud ipsum Becanum, non enim dignæ sunt refutatione, cum falsis nitantur fundamentis & præsuppositis, nimirum defectum baptismi suppleri per martyrium. Quod concedendum non est, ut in præcedentibus monuimus. Deinde *Baptismum tollere omnem culpam & pœnam ex opere operato*; id verò quia sine omni scripturâ dicitur, eâ facilitate à nobis negatur & abjicitur, quæ à Becano est assertum & allatum: imò à nostris dudum sufficienter est refutatum. *Tertiò in hominem hujus seculi & vitæ cadere dilectionem Dei super omnia perfectam.* Quod etiam pugnat cum expressâ scripturâ, uti id quoque alibi demonstratur. Et quæ sunt alia absurda, & à verâ religione ac fide alienissima.

XXVII. Progrediamur nunc ad conclusiones, quarum septem proponit. *Prima: In martyrio adultorum possunt tria spectari. Primò irrogatio mortis à tyranno facta ex odio Christi. Secundo, acceptatio mortis seu voluntas moriendi pro Christo. Tertiò, per-*
pessio

passio mortis, seu mors ipsa tolerata. Porro voluntas moriendi pro Christo fieri potest vel ex affectu dilectionis Dei, vel obedientia vel religionis vel fidei, vel spei, vel fortitudinis Christiana. Unde patet internum actum martyrii posse ad varias virtutes pertinere. De conclusione hac solliciti non sumus, ac facile concedimus, quod Martyrium ad varias referri possit virtutes: Ut autem nulla virtus potest mereri remissionem peccatorum, vel esse medium, quo acquiratur salus; sic quoque de ipso martyrio statuendum.

XXVIII. Secunda conclusio: Interea acceptatio mortis pro Christo, si fiat ab homine justo & proveniat ex aliquo dictorum affectuum, magnam vim habet per modum operis operati. Tertia Conclusio: Externa perpassio mortis, pro Christo suscepta, per se & quasi ex opere operato habet eandem vim cum baptismo aque, id est, vim conferendi gratiam justificantem & delendi omnia peccata, & tollendi omnem reatum poenae, si homo sit debite dispositus, neque obicem ponat. Utriusque conclusionis falsitas patet ex haecenus explicatis. Ut enim nullus scripturae locus ad illas confirmandas adfertur, sic etiam nullus plane adferri potest. Si enim Baptismus non justificat ex opere operato, multo minus martyrium. Taceo, quod nullam literam ex scriptura probari poterit, martyrium ullomodo posse habere eandem vim cum baptismo. Somnia sunt Jesuitae male dormientis.

XXIX. Quarta Conclusio Becani est: Ut externa perpassio mortis, pro Christo suscepta, profit peccatori, & ex opere operato conferat illi primam gratiam justificantem & remissionem peccatorum, non est per se necessaria contritio, tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum, quod fructum Martyrii impediret. Et hujus Conclusionis falsitas in aprico est. Si enim martyrium ex opere operato nullomodo confert gratiam justificantem; sed potius quia homini illa gratia collata, & propterea ipse est justificatus, veramque ac constantem fidem ac nequaquam fictam, habet, martyrium patitur, adeo ut non martyrium sit causa justificationis; sed potius justificatio sit causa martyrii; sequitur quod neque hoc modo martyrium gratiam justificantem conferre queat.

XXX. Quinta Conclusio: *Ut externa perpeſſio mortis, pro Chriſtò ſuſcepta, proſit peccatori, ſufficit attritio per modum diſpoſitionis.* Nequaquam verò; ſed ut proſit, requiritur fides: ſi enim martyrìum ex verâ fide ſuſcipitur, ob quam perſona Deo placet: etiam ipſum martyrìum Deo placet & gratum eſt.

XXXI. Sexta Conclusio: *Voluntas patiendi pro Chriſtò videtur ſufficere peccatori, ſi non advertat ſe eſſe peccatorem.* Hæc conditio nulla eſt: Quandoquidem quilibet ſemper & cum primis quando in articulo mortis eſt conſtitutus, ſe peccatorem eſſe agnoſcat, remiſſionem peccatorum propter Chriſtum petat, verâq; fide ipſum, & omnia ipſius beneficia ſibi applicet.

XXXII. Septima Conclusio: *Si peccator advertat ſe eſſe in peccatò mortali, non videtur ſufficere voluntas moriendi pro Chriſtò; ſed ulterius requiritur contritio, non quidem ceu neceſſaria diſpoſitio ad effectum martyrìj: id eſt, ad tollenda peccata vetera; ſed tanquam neceſſarium opus ad vitandum novum peccatum ratione præcepti contritionis, quod obligat in tali caſu.* Addit rationem, nam, inquit, huic præcepto non ſatis fit, niſi per formalem contritionem; vel certe per attritionem, que putetur eſſe contritio.

XXXIII. Respondemus, quando Chriſtianus ad martyrìum rapitur, tum quidem ſe cum Davide innocentem & juſtum cenſere ac dicere poteſt, reſpectu Tyrannorum, qui ipſum crudeli morte maſtare ſatagunt, nunquam verò ſe talem dicat vel cenſeat reſpectu Dei: At potiùs confiteatur ruruſ cum Davide Deo peccata ſua, petatque remiſſionem peccatorum ſuorum, agnoſcat omnia peccata ſua, minima, maxima, ſive occulta, ſive manifeſta, ſive nota, ſive incognita, ſuâ naturâ eſſe mortalia, & propter illa meruiſſe non tantum temporale illud ſupplicium; ſed æternam quoque damnationem, niſi Chriſtus pro ipſis ſatisfeciſſet, ac propter ipſum remiſſionem peccatorum verâ fide ipſe nactus & ſic juſtificatus eſſet. Ergo paſſurus martyrìum, non martyrìo accipit remiſſionem peccatorum, ſed verâ fide ante martyrìum: quam fidem duntaxat martyrìo ſuo demonſtrat & teſtatam facit coram Deo & hominibus: haut ſecus ac Abraham fide verâ in futurum Meſſiam juſtificatus, Deo præſtitit obedientiam, ac filium ſuum maſtare voluit. Quo ſane opere

opere non fuit justificatus coram Deo (quippe qui jam ante justificatus fuerat) sed coram hominibus justus ac Deo obediens pronuntiatus fuit. Contritio igitur, id est, vera poenitentia, cujus pars est fides salvifica, omni omnino morienti; Ergo & illi, qui martyrio vitam finit, necessaria est, non ut alicui legis faciat, & sic aliquid de sua salute mereatur (ut insinuat adversarius, quando dicit quod *praecepto de Contritione non satisfacit nisi per formalem contritionem*) sed quia versans in ejusmodi poenitentia ac fiducia justificatus est, & justificatus moritur sive morte naturali sive violenta & Martyrio abripiatur.

XXXIV. Tandem respondet Becanus ad duas opiniones, a principio adductas. Prioris rationem hanc adfert, quod *putent ejus defensores, Martyrium non conferre gratiam ex opere operato; sed solum ex re & affectu patientis. Unde sic inferunt: sicut peccator extra martyrium non potest justificari sine contritione (nisi sacramentum suppleat) ita nec in Martyrio.* Respondet ergo Becanus; *Martyrium habere vim ex opere operato, licet sacramentum non sit, ex speciali privilegio.* Verum hic coccyismus rursus sine ratione obtruditur & sufficienter refutatus est; tantum repetimus: non baptismum vel ullum aliud Sacramentum sive V. sive N. Testamenti ex opere operato justificasse vel adhuc justificare. Ergo multo minus Martyrium.

XXXV. Secunda ratio desumitur ex illo. I. Corinth. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, mihi nihil prodest.* Respondet Becanus, *concedens passionem mortis non prodesse sine charitate, & e contra negans martyrem, qui pro Christo libenter occipit mortem, non habere charitatem.* Addit rationes duas; 1. *quia ipsa voluntas pro Christo moriendi est quidem virtualis actus Charitatis.* 2. *quia vi martyrij infunditur illa gratia justificans & Caritas habitualis ipsa.* Priorem quidem rationem concedere possumus, imo & addere, quod ejusmodi prompta pro Christo moriendi voluntas non tantum virtualis; sed omnino verus ac certus actus & effectus sit charitatis, quae semper cum fide juncta, utpote per quam fides efficax est: Interim tamen videtur etiam Apostolus monere, Martyria non unius generis esse. Sanè inter Ethnicos quoque fuerunt, qui excellen-

cellente quadam animi fortitudine exquisitissima tormenta pro patriæ salute sustinuerunt; ut M. Attilius Regulus. Q. Mutius Scævola, & M. Curtius. Habent isti suam laudem coràm hominibus, coràm Deo verò perit omnis laus, quòd non ex fide neq; ex Christiana Charitate; Sed ab immensà gloriæ cupiditate talia profecta sint. Sic hodieque reperies Anabaptistas, qui pro suâ falsâ religione non dubitant quævis adire extrema; eaq; perpeti: id ipsum verò sine fide & Charitate, qua tanquam Fanatici destituuntur. Quare docet hic Apostolus, ea demum placere ac probari Deo supplicia & martyria, quæ pro assertione veritatis ac justitiæ sustinentur, suscipiunturque à personis, quæ sunt in gratiâ: hoc est, à verè piis, quorum cor fide verâ instructum est, & imbutum charitate in proximum, non simulatâ, & roboratum spe consecutionis vitæ æternæ, & munitum patientiâ Christianâ, ut in paroxismo isto ad ultimum usque halitum durare valeant. Atq; hi sunt, quibus debetur corona vitæ, juxta promissionem Servatoris, 2. Tim. 2. v. 10. Apocal. 2. v. 10. Alteram rationem pernegamus quia ejusmodi gratia habitualis infusa est planè Non Ens; quomodo ergò per martyrium infundetur?

XXXVI. Movet objectionem: *Dices, inquit, Apostolus loquitur de actu charitatis præcedente Martyrium, non de habitu, qui confertur per Martyrium.* Respondet: *non ita est. Nam eodem modo requirit charitatem ad perpeffionem mortis, quo illam requirit ad fidem & scientiam. At non necesse est, ut charitas præcedat fidem ac scientiam; sed satis est, ut comitetur. Sensus igitur Apostoli est, nihil esse perfectum in hac vitâ, quod posset hominem salvare si absit charitas.* Regerimus nos, omninò rem ita se habere, & loqui Apostolum de actu charitatis præcedente Martyrium. Nam ex actu charitatis & dilectionis Dei & Christi sui moritur homo fidelis, ut voluntarie martyrium sustineat. Deinde concedimus, non necesse esse, ut charitas præcedat fidem; sed necesse est ut eam sequatur. Nam omne opus Deo gratum & placens ex fide procedere debet, juxta illud Apostoli Rom. 14. v. ult. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.* Et rursus Hebr. 11. v. 6. *sine fide fieri non potest, ut quis Deo placeat.* Ergò omne opus Evangelicè bonum & Deo placens, ratione bonitatis hujus Evangelicæ

lica & quatenus in conspectu Dei censetur bonum, à fide tanquam à causâ pender. Ergò fides si non tempore, omninò naturâ est prior charitate, tanquam causâ suò effectû. Tandem ergò nego in allegatò dictò præsupponere Apostolum, quod *enumerata opéra hominem salvare possint, modò adsit charitas*; sed hic est verus sensus Apostolici Enunciati: Si tradam corpus meum, ut cõburar & charitatem non habeam, nihil utilitatis inde capio. Ubi enim deficit charitas, ibi deficit fides; ubi hæc non est, ibi deficit justitia coram Deo, deficit æterna salus & in nihilum evanescit omnis Martyriorum fructus, si quis etiam exquisitissima sustineat tormenta, qualis est Vtulatio corporum. Atq; hanc speciem exprimendo Paulus totum genus complecti voluit. Quæ porrò à Becanò subjiciuntur, magni momenti non sunt, & facile ex dictis resolvuntur & refutantur.


QUÆSTIO VII.

Quæ dispositio requiratur ad valorem Baptismi,
& an amentes baptizandi sint?

XXXVII. Tandem duas has quæstiones conjungit Becanus, illasq; breviter explicat duabus conclusionibus. Prima: *Nulla alia dispositio in adultis requiritur ad valorem baptismi, nisi consensus & voluntas suscipiendi baptismum.* Probat auctoritate Thomæ art. 4. 7. 8. Ubi illam ex scriptura probare debebat. *Neg. necesse est, addit, consensum esse actualem, sed sufficit aliquando præcessisse consensum actualem, qui adhuc moraliter duret, nec interea retractatus sit.* Respondemus & concedimus, adultum contra voluntatem suam baptizandum non esse, sed omninò requiri ejus consensum & voluntatem. Quandoquidem Christus in N. T. populum habere vult spontaneum *Pf. 110. 3. Cant. 6. 11.* Imo etiam in V. T. Deo magis placebant, quæ spontè offerebantur, *Lev. 22. 18. Deut. 16. 10.* & beneficia Christi, potissimum v. sacramentalia, non conferantur in invitos, indignos, reluctantes, nolentes. *Luc. 14. 24. Matth. 22. 8.* Et sanè manifestus ac pessimus esset abusus baptismi, applicare illum isti, in quo constaret, nullum sequi posse spirituales fructum. Hoc v. quando concedimus, negamus

negamus simul intentionem sive voluntatem baptizandi, face-
re ad valorem, hoc est, ad essentiam sacramenti: Cui tantum
conducatur ad hoc, ut homo adultus baptismum recipere possit,
ipsiq; conferri debeat in se validus.


XXXVIII. Conclusio secunda: *Amentes, si perpetuò sint, in-
ter infantes computari debent; si a. aliquando usum rationis habue-
rint, eadem est ratio de illis, quæ de aliis adultis. Judicandi a. sunt
juxta statum & voluntatem, in qua inventi sunt, quando in amentiam
inciderunt.* Thomas art. 12. Res est plana.



Ad Dn. M. DANIELEM HEERBRANDUM,
Respondentem.

Quæ sint ingenij vires, quod mentis acumen,
Id tua cum doctis docta palæstra docet:
Urge cœpta, aderit cum famâ gloria vivax:
Urge, aderunt votis Fata benigna tuis.

Jac. Martini D.



*Præstantissimo Dn. M. DANIELI HEERBRANDO
Theologicè disputaturo.*


Sufficit haud tantùm, si quis scit recta docere,
Nec simul errores diluit hæreticos,
Hinc ne deficias, HEERBRANDE, intendis utrumq;
Hæretici technas diluis arte, docens.

amico suo dilectissimo

ἰχαρίασε

*M. Jacobus Weller Neuk. Var. Fac.
Phil. Adj.*

Præstan-



Præstantiss. & literatiss. Viro Dn, M. Danieli Heerbrando,
Fautori & amico suo publicè disputanti.

HÆreticis claros inflatis tempore quovis
(Provida cura!) viros
Opposuit magnæ cui soli Ecclesia curæ est
Magnus in axe DEUS:
Addit eis sancti cælestia robora verbi,
Non violanda homini,
Ut varios rarâ divini Numinis hostes
Strenuitate doment,
Ingenij nugasq; strophasq; resolvere possint
Dexteritate sui.
Tales certatim genuerunt secla priora,
Ut retulere Patres.
Inter & hos cunctos Heerbrandus splenduit olim,
Quod pia scripta docent.
Abs hoc fortitum forsan cum sanguine Nomen
Te reor esse: bene est.
Strenuus ipse fuit divini assertor honoris,
Laudo coloq; virum.
Pugnavit, docuit, scripsit, transcendit Olympum.
Sed fera bella manent.
Motaq; vix finem capient certamina, donec
Machina tota ruat.
Ergo pios armis, quæ nosti, imitare priores
Tollere velle dolos.
Sic quoq; laudabunt Te Heerbrandum secla futura,
HIC ERAT! Hocce precor.

*M. Martinus Heinsius
Spandoviensis March.*

Præfatus & licetis Viro Do. M. Jacobi Heckerando
Patroni & amico suo huic d. n. n.

Hæreticis clavis instans temporis
(Prota entis) rics

Capitulum magnum qui Joh. Ecclesia curat

Magnus in sac. D. E. U. S.

Addit eis sancti ecclesia rictora verbi

Non rictanda rictoria

Et vixit facta divina ricta ricta

Magnum ricta ricta

Magnum ricta ricta ricta ricta

D. n. n. n. n.

Tales certam rictam ricta ricta

Et ricta ricta ricta

Intra & ricta ricta ricta ricta

Quod ricta ricta ricta

Et hoc rictam rictam ricta ricta

Et ricta ricta ricta

Struere ricta ricta ricta ricta

Et ricta ricta ricta

Paganus ricta ricta ricta ricta

Et ricta ricta ricta

Mors ricta ricta ricta ricta

Mors ricta ricta ricta

Ergo ricta ricta ricta ricta

Tolle ricta ricta ricta

Et quod ricta ricta ricta ricta

HIC ERAT! Hic ricta ricta

M. Martinus
Spandauer

Coll. diss. A 198 6